

Zeitschrift: Candollea : journal international de botanique systématique = international journal of systematic botany
Herausgeber: Conservatoire et Jardin botaniques de la Ville de Genève
Band: 29 (1974)
Heft: 1

Artikel: Notulae ad Sindroa, genus endemicum Palmarum peninsulae Masoala, Madagascariae : cum digressionem circa Humbertiam Madagascariensim
Autor: Bernardi, Luciano
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-880138>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 02.04.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Notulae ad Sindroa, genus endemicum Palmarum peninsulae Masoala, Madagascariae; cum digressionem circa Humbertiam Madagascariensem

Auctore LUCIANO BERNARDI, felsineo

RÉSUMÉ

L'auteur présente quelques notes sur les palmiers endémiques de Madagascar.

SUMMARY

The author presents some observations on endemic palms from Madagascar.

ZUSAMMENFASSUNG

Der Verfasser teilt einige Bemerkungen über endemische Palmen von Madagaskar mit.

Masoala peninsula udae et silvana Insulae Grandis, Sancti Laurentii a Lusitanis olim dictae, ornatur tribus generibus *Palmarum*, ut constat tantum illic vigentibus, videlicet: *Antongilia*, *Masoala* et *Sindroa* et nonnullis speciebus endemicis, ut:

Chrysalidocarpus auriculatus Jum., *C. ruber* Jum., *Dypsis Lanceana* Baillon, *D. masoalensis* Jum., *D. Mocquerysiana* Becc., *D. plurisecta* Jum., *D. viridis* Jum., *Louvelia albicans* Jum., *Neophloga lucens* Jum.

Motus a fato acerbo quod totam silvam terrarum calidiorum parvitate pravitateque hominum ruit ad exitium una cum speciebus omnibus, ita ut reginis nemo-
rum, *Palmas* indico, ... cum iter ad insulas Oceani Indici ad Urbis Genavae administratione obtinuissem praecipue ob Philiberti Commerson commemorationem in insula Borbonia (Réunion), simul auxilium petivi Unioni Internationali Conservationis Naturae (U.I.C.N.) ut potuissem inspicere in insulis illis salutem vel inopiam *Palmarum*. Quod rogabam, attigi et gratiae propter hoc tribuendae toto corde rectori generali U.I.C.N. Gerardo Budowski sunt.

Madagascariae centum et viginti species *Palmarum* adsunt, fere omnes endemicae... Ut omnes conspicerem et computarem, nimis multis sestertiis et mensibus mihi oportuerit: ergo Madagascariae adventu cum fratre meo haud botanico sed chronographo, statuimus eum Madagascariam australim pergere *Humbertiam madagascariensis*, adamantem arborum, conspicere et illustrare, me borealim partem insulae, admodum Masoala.

Qoad ad *Humbertiam* attinet, in inscriptione iconum dicitur (pl. Ia, b). Mihi liceat solum proferre: viatori per semitas silvanas, collectori plantarum specimina, viro qui Naturam colit et formas ejus diligit ut manifestationem superhumanae Intelligentiae, eo saepius et gravius cor moerens et fel amarissimum erunt! Arbor splendida proceraque ut *Humbertia*, architectura florum insignis (fig. 1), materia incorruptibili unica, monumentum quidem Regni vegetabilis, nulla inquisitione acerrima scientiae ejus biologiae et ecologiae, descriptione excepta et notulis brevibus, paulatim extinguitur hominum ignavia!

Sindroa tractante, ad extremam australim Masoala eam inveni (vide geographicam tabulam, fig. 8). Ob itineris brevitatem, pugillum plantarum opulentulum legi, non procul a maris ora, palmas etiam alias; omnia specimina tamen servantur adhuc



Fig. 1. — Ramulus florifer *Humbertiae madagascariensis* (Saskia Wikstroem del.).




Fig. 2. – *Sindroa longisquama* Jum., ultra 10 m alta (homo juxta palmam, ultra m 1.70 altus).




Fig. 3. — Conspectus dispositionis distichae foliorum; quod ex medio petiolorum basis pro-cumbet, fragmen folii aridi est.

in Tananarive (C.T.F.T., Ambatobe), exceptis paucis ramulis *Polysciadis Barterianae*, quos, cogitans speciei novae pertinere, mecum in sacco viatorio domum trahebam. Specimina a me lecta spero accipere mox a C.T.F.T., permissione Madagascariae ministrorum: utcumque notulas quas scripsi tunc, et nonnullis iconibus machinae photographicae auxilio, ad hoc genus parum notum addere quamdam pusillam cognitionem spero. Nam, ut mihi constat, *Sindroa* tantum semel legebatur a *Perrier de la Bâthie*, n^o 11937, loco Marambo “dans le massif de Masoala, vers 40 m d’alt.”. Descriptio generica et specifica legitur, gallice, in Ann. Mus. Col. Marseille, fasc. 1: 11.1933, etiamque in Fl. de Mad. 30^me Fam.: 160, fig. 45. 1945, a Henrico Jumelle confectae.

Hujus generis magni momenti in historia naturali et praecipue in Geographia Palmarum constat sparsim in litteris de hac familia: tantum duo opuscula hic proferam nuper edita:

G. Thanikaimoni: Les Palmiers: Palynologie et Systématique, Pondichéry 1970, (vide illic indicem).

H. Moore Jr.: The major Groups of Palms and their Distribution: Gent. Herb. 11, fasc. 2. 1973, passim et fig. 56, p. 118.

Specimen a me lecto, ex arbore feminea occisa, 8-9 m alta (fig. 2), inveniebatur sic: *Bernardi 14450*: ad locum prope pagum Beankora (“Beankoraka” inscribitur in “Carte de Madagascar, feuille 4, Antalaha, 1: 500 000, 1964, tamen incolae mihi iterabant Beankora, pro nihilo Beankoraka nomen illius vici esse!); 1 km ante pagum dictum ex Cap Masoala, secus rivulum Ambahimantsina, 15-20 m alt., in udibus. Palma 8-10(-12) m alta, trunco haud conspicue anillato. Folia ingentia (fig. 4), 3 m vel




Fig. 4. – Folium integrum: circiter 3.40 m altum, 2 m maximum latum (homo palmam tenens, plus minusve 1.60 altus).




Fig. 5. — *Conspectus infrutescentiae, rachide ad basim usque ad primam ramificationem, dense rubiginosa, ceterum luteo-virente: crassitudine ut patefit, brachii robusti.*




Fig. 6. – Fructus tri-bi-unispermi; trispermi, 6 cm lati; calyce fusco, dum epidermis fructus lucida-viridis conspicitur.




Fig. 7. – Basi trunci immo 40 cm plus minusve crassa, superne, 20-35 cm D.; radices oriuntur carnosae, fasciculatae, sed praecipue hypogaeae.
Nota: delineationes ex iconibus machinae photographicae, confectae manu artificis, egregia ad pulchritudinem florum reddendam, dominillae Saskia Wikstroem, natione sueca, (ex stirpe quae Botanicae dedit eximium J. E. Wikstroem, Thumbergii alumnum), Conservatorio addicta ab anno 1967.






Fig. 8. — Loci inventuum *Sindroa* et *Polyscias Baretiana*
 Marambo, prope Ambohitralanana: locus typicus *Sindroae longisquamae* (Perrier 11937);
 Beankora, ad Cap Masoala: *Bernardi 14450*, *Sindroa* arbor feminea. Ambanizana: locus
 typicus *Polysciadis Baretiana* (*Bernardi 14447*) (del. L. Guibentif).

longiora, in uno plano disposita (ut in *Ravenala!*). Infrutescentiae magnae (fig. 5), graves, fructibus haud maturis, tricoccis, id est trispermis ut conspicitur in *Sapium*, *Aleurites*, *Hevea*, etc. nonnumquam 2, vel 1-spermis (fig. 6), intus aqua repleti ut in *Cocos*. Maturi dicuntur mense Januario. Ab incolis referebatur tantum hic vigere et vicinioribus, et non in parte occidentali peninsulae, de Cap Masoala ad Maroantsetra. Circa locum illum, 10-12 palmas *Sindroa* vidi; gemma terminalis foliorum amara, venenata atque delirium inferre mihi affirmabatur a comite silvano, incola Cap Masoala, vir acutae mentis et probatus; hoc — memoro — etiam dicitur de foliorum gemma generis *Oraniae*, quod affinius *Sindroae* consideratur.

Magnopere admiratus sum cum observassem foliorum dispositionem ut in flabello (fig. 3). Me *Palmarum* ignarissimum proclamo, et notulas istas temerarias scribo praecipue ad commodum principis Botanici hujus familiae, Harold Moore qui Masoala peninsulae visitare conatus est anno 1971, sed tempus idoneum ei non offerebatur; tamen puto raras esse *Palmas* foliis distiche dispositis ut multum admiramur in Natura et in Hortis pro ut *Ravenala*, *Phenakospermum* et *Strelitzia*: tres quidem solum citantur ab eximio E. J. H. Corner (Nat. Hist. of Palms: 49. 1966). Madagascar igitur ornatur Palmis tam peculiaribus sicut: *Neodypsis Decaryi* Jum., foliis tribus ordinibus perfecte dispositis (vide H. Moore, l.c.: 91, fig. 36). *Vonitra* sp. pl., stipite pluries furcato, et *Sindroa*, ut dico, foliis ut in flabello. Utinam species tam formosae et raras ab diligentia ministrorum aquarum et silvarum Insulae Grandis, servatae essent et mutuatione seminum hortis botanicis, distributae ut investigatione acutae de illis fierent!



a, *Humbertia madagascariensis* Comm. ex Lam., ad oram silvae mox delendae, ut species dominans (30 m et ultra alta, 80 cm D.). In regione Manantenina, 84 km circa N. Fort Dauphin, 7 km ab ora maris, in collinis humilibus, 100 m alt. silva Eseta, ad vicum Iabakoho. b, eadem, valde vulnerata, aliis arboribus caesis ob materiam, coma inope, trunco profunde a flammis sulcato, stat. Ob materiam durissimam, nullo usu noto, *Humbertia* securem hominum repellit: sed — silva deleta — tantum sicut monumentum fere petreum (Flacourt de illa ait: marmoream!) manet et monet.



a



b

a, *Neodypsis Decaryi* Jum., insignis ob folia tribus ordinibus digesta, coram igne (10 km N. Fort Dauphin, loco Nahampoana nuncupat).
 b, quando omnes plantae ustae sunt, qui superest nisi inopia Naturae et hominum? (Regio eadem quam in pl. Ila). (Vide etiam H. Humbert: "La destruction d'une flore insulaire par le feu", Tanarive, 1927). (Photo: Alfonso Bernardi).